

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Ionstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Piscibvs|| Et Cetis|| Libri V||

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVII.

VD18 90529014

Illustration: Tab. XXX. Umbla maior Grose Rötelin [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11089


1 Umbra maior.

Große Rötelen.



2 Umbra min.

Rötelen püßling.



3 Trutta Lacustris. Trutta Salmonata.

Grund föhrin See föhrin.



6 Albula Lacustris.

Gang fisch.

Laurretus Albula.

Adel fisch.



7 Alb. minima.

hegling.

Albula Cruda.

Lacustris Bröta.

Blauwing.

Brätfisch.



8 Albula Parua.

Albelen nris gangfisch.

Carpio Benaci.

See föhrin.



Schillus

Sitiell. Nagmul.

Alburnus Albus Sabianus.

Weis. fisch.



Squalus.

Ein Art hering.

Clavatus aprinus.

Pigo Domibrahymen



Farra albula lacustris sparis.

Farra Alnus. generis.



Agonus.

Wische Agonus.

Chalvis altera Rondactij.

Ein Heringart. in Sijon Stern.



XXV.
5.
ovand.
scibus
. 52.

CAPVT V.

De Albula parva, et minima Gesneri.

TAB. XXX.
7. 8.
*Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 53.*

Albulam parvam non sui generis piscem esse, sed albulam sive Bezolam caeruleam secundo tertiove suae aetatis anno ita vocari, quidam opinantur, quibus piscatores nostri, inquit Gesnerus, contradicunt, quod caeruleos observarint secundo etiam ac tertio anno forma coloreque a genere Albularum (de quibus hic loquimur) differre. Cognatus est hic piscis caeteris lacustribus albis. Nam et species et sapor fere omnium non dissimilis est. Albula magis quam Bezola albicat: cauda tamen et reliquae pinnae, praeter eas, quae juxta branchias sunt, nigricant in extremitatibus. *Dorso* color glaucus: alicubi tamen purpurei quiddam et caerulei mixtum videtur. Caput ex glauco caeruleum. Inter caput et dorsum color viridis, ceu gemma relucet. Branchiae ei quaternae. Hyeme aliquando memini me videre hunc piscem *squamis* per latera exasperatum, eminentibus per singulas squammas veluti tuberculis. Aiebant hoc indicium esse recentium et vivarum. *Capiuntur* Albulae in summa parte Tigurini lacus, juxta locum, quem Buchberg vocant, diebus fere quatuordecim post diem divi Martini, et ad oppidum Rapperfullam circa ipsum divi Martini diem. *A partu* in lacum nostrum descendunt (sed non tam procul, ut caeterae Albulae) usque ad Ver: deinde rursus ascendunt tota aestate, usque ad divi Martini diem. Capiuntur etiam in Gryphio agri Tigurini, multo majores quam in nostro, et in Halvillensi Bernensis agri. Augusti et Septembris mensibus praecipue laudantur, quod suaviores eo tempore solidioresque sint. Postea enim pariunt, et mollior earum caro fit, et succus in foeturam consumitur.

scem voco, inquit idem Gesnerus, quem nostri Hagele vel Haling, quasi Haleculam appellant. Friburgi Helvetiorum (ut audio) Pfarren, Lucrenae Nachtsfisch, quod noctu ferre irretiatur, ut quidam putant. Sed mihi piscator Lucernensis affirmavit, Nachtsfisch vocari Albulam caeruleam anno primo, cum circa diem divi Johannis aestate jam ad digiti longitudinem excrevit. Tota specie accedit ad illam, quam proxime albulam parvam nominavi, sed plerumque minor est, et in capite minus viridis. Si piscem erectum inspicias per dorsum aliquid coloris purpurascens in lateribus apparebit. Branchiae ei quaternae sunt, pinnulae albae. Ore aperto superioris mandibulae extremitas deorsum tendit. Os habet longiusculum, *dentes* nullos. *Julio coeunt.* Noctu tantum *capiuntur* rebus ad passus quadraginta aut quinquaginta demissis. Cum coelum serenum est, altius descendunt, cum nubilum, ascendunt. Densissimis gregibus prae caeteris Albulis capiuntur, non passim in lacu nostro, sed maxime a pago Vaedefuilla, usque ad Insulam et versus alteram ripam a loco Surenbach usque ad arborem longam. Diebus quatuordecim fere a natali Domini capi incipiunt et immixtae eis Albulae caeruleae aliquot, et mox expirant. Cum captae mox expirent, ut recentes habeantur matutino tempore potius ad prandium coemuntur, et assi in craticula quam calidissimi a gulonibus devorantur, qui eam ob causam non universos, sed paulatim alios assari jubent, ut statim assumtis prioribus, fervidi posteriores mensis afferantur. Embamma additur ex aceto, sinapi, pipere, sale et porri aut cepae foliis concisis. Placet item recens in jure albo frigido, apio copiose insperso maxime per mensem Decembrem. Sale idem conditus infususque commendatur.

*Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 54.*

DE ALBULA MINIMA sic Gesnerus: Albulam minimam hunc pi-

